



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

177. An resignatio beneficij ab excommunicato facta in favorem tertiæ personæ sit valida? Et an hoc etiam locum habeat in excommunicato vitando? Ex p. 5. tr. 9. res. 106.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

receptum. Et ita etiam videtur accipiendum juramentum, quod Romæ exigitur. Præterea dicta constitutio, & etiam dictum juramentum non videtur procedere in obtinentibus beneficia cum animo dubio; aut conditionali illa resignandi etiam in favorem aliorum. Rursus ista conditio procedit in sic obtinentibus, seu impetrantibus beneficia in Curia Romana, seu à Papa, non ab Ordinariis, seu extra Curiam & hæc omnia docet Garcias ubi supra.

RESOL. CLXXVI.

An licitum sit procurare, & obtinere beneficium animo resignandi illud, &c. Ex part. 9. tr. 7. & Misc. 7. Resol. 5. alias 52.

DE hoc casu alibi ego egi, & de illo ferè singulis diebus interrogor, negativè respondendo, stante Bulla Pauli IV. Verum novissimè benignam opinionem circa materiam hanc invenio apud Caltrum Palaum tom. 6. disp. 3. punct. 30. num. 8. ubi sic ait, loquens de supradicta Bulla Pauli IV. Denique excommunicat Pontifex eos, qui pro seipsum beneficia impetrant; animo tamen illa resignandi in favorem aliorum. Bonacina disp. 2. quest. 3. punct. 28. num. 6. existimat, te hac censura ligari, esto, animum habeas resignandi ex consensu, & licentia Pontificis, & non alias: quia dolum & fraudem committere censuris ea intentione beneficium impetrans, cujus Pontifex, si conficius esset, non conferret. Sed verius oppositum existimo: quia impetratio sub ea intentione non est dolosa, & fraudulentia seclusa hac lege, ut de se constat. At hæc lex fertur ad purgandas sordes, fraudes, & dolos, qui in Curia Romana significabantur adesse in beneficiorum impetratione, antequàm Pontifex legem tulisset. Ergo lata non fuit ad excludendam prædictam impetrationem. Et confitimo: Pontifex hac lege removere intendit fraudem, & dolum cognoscibilem in beneficiorum impetratione; at in dicta impetratione: nequit ullus dolum cognosci, maxime si intentio animo retenta sit. Ergo hac lege non continetur hæc impetratio. Adde non videri improbabile ex his, quæ tradit, Bonacina disp. 2. q. 3. punct. 18. in fin. hanc Constitutionem non esse receptam quoad omnes actiones, sed solum quoad primam de simulatione personæ, & subjectione supposititæ examini pro beneficio obtinendo; quoad reliquas verò in eventibus tantum simoniace privatis. Quippe Pontifex intendit hac Constitutione, & censuræ prolatione removere à Curia Romana, quod aliàs de se illicitum erat in beneficiorum impetratione. Hucusque Palau.

2. Sed Vide, an sit admittendum id, quod asserit nempe, Bullam Pauli IV non esse usu receptam, eum vigore illius in Curia, quando quis obtinet beneficium, præstatur ei juramentum, quòd illud obtinet animo non resignandi: ideo tu cogita; nam doctrinam Palai nec approbo, nec damno.

RESOL. CLXXVII.

An resignatio beneficii ab excommunicato facta in favorem tertie personæ sit valida? Et an hoc etiam locum habeat in excommunicato vitando? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 106.

NEGATIVè respondet Filiucius tom. 2. tract. 12. cap. 6. num. 163. quia quando resignatio est in favorem tertij resignans cõcurrit etiam ipse ad collationem beneficii, nominando, determinando personam, & resignando cum conditione, dummodo detur

illi & non alteri, unde acquiritur aliquod jus nominato, & æquivaler præsentationi: at excommunicatus est privatus omni jure spirituali, ergo, &c.

2. Sed ego puto contrariam sententiam non esse minus probabilem, quam tueretur Turrian. lib. 2. disp. 15. dub. 3. ubi sic ait: Quæritur de resignatione beneficii ab excommunicato facta in favorem tertie personæ, an sit valida? Et aliqui judicant non esse validam, & probant, quia excommunicatus est privatus omni usu beneficii sui. Ergo multo magis potestatem donandi illud alteri. Secundò quia resignatio in favorem tertie personæ videtur esse quædam præsentatio, eum designet personam, & sic videtur philosophari Pater Suarez supra disp. 14. sect. ult. n. 35. Sed alij sentiunt validam esse renunciationem, quia neque est præsentatio, neque electio, neque institutio beneficii. Ergo. Non est electio, ut pater. Non præsentatio quia ille non habet jus patronatus ad præsentandum, sed solum vult relinquere beneficium sub conditione, ut detur alteri, & licet iste possit peccare in communicatione, tamen non apparet jus, ob quod dicimus nullam esse resignationem. Ad argumenta contrariæ opinionis facile respondetur. Ad primum hoc est facile, quia ille non privatur potestate absolute relinquendi illud sub conditione, & Doctores contrariæ opinionis fatentur posse illud dimittere, quod est per se manifestum. Ad secundum constat ex dictis, & sanè si resignans non esset excommunicatus vitandus, facile concedunt DD. validam esse resignationem. Verum nisi sit vitandus, non video probari nullitatem illius. Hæc omnia Turrianus ubi supra.

3. Notandum est tamen quoddam prima sententia locum habet in excommunicato vitando, si enim resignet simpliciter, valida est, quia est merum factum, & res pendens à voluntate. Si in favorem est invalida, quia pertinet ad jurisdictionem: in eo autem qui vitandus non est, non videtur neque invalida, etiam si fiat in favorem tertij, quia potius est in favorem resignatarij, neque illicita quando requiritur ab aliis. Ut enim non est vitandus in aliis actionibus, ita neque in hac. Ac propterea servatur id quod dicitur in Extravag. ad evitanda, ut non relevetur in aliquo ipse semet excommunicatus, sed alij tantum. Ita Filiucius loco citato.

RESOL. CLXXVIII.

An excommunicatus sit inhabilis ad recipiendâ pensiones?

Et an hoc locum habere debeat in pensionibus, quæ dantur titulo spirituali, non vero in his, quæ non sunt beneficii, quia dantur titulo seculari. Ex p. 5. tr. 9. Resol. 103.

51. AFFIRMATIVAM sententiam docet Gordonus in Summa, tom. 2. lib. 7. quest. 9. num. 45. Filiucius tom. 1. tract. 12. cap. 5. n. 123. Villalob. in Summa, tom. 1. tr. 17. diff. 9. num. 3. ubi sic ait. También es inhabil el descomulgado para recibir pension perpetua, que se da en titulo de beneficio, porque ella es beneficio, y assi lo dize Abad. Covar. Suarez, Soto, y otros, y es lo que llamamos prestamo. De las demas pensiones ay mayor duda entre los Doctores, tengo por mas cierto, que tambien està inhabil para ellas, porque como no puede hazer los frutos suyos, no podra recibir la pension, que es derecho para recibirlas. A esta parte se inclina Covar. y la tiene Gigas, y la favorece el estilo de la Curia, que todas las vezes que se conceden estas pensiones, se concede que le puedan absolver de las censuras para este efecto. Ita ille. Vide etiam Suarez disp. 15. sect. 1. n. 9. & Mercurum de Sac. in 3. part. quest. 21. dub. 8.